



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XIII. Vtrum videntes Deum, videant cum inæquali perfectione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)



QVÆSTIO XIII.

Utrum videntes Deum videant cum inæquali perfectione?

VIDEVR non esse possibilem talem inæqualitatem perfectionis. 1. Quia repugnat aliquid videri perfectius ab vno, quàm ab alio, quin vnus videat plus, alius minus. Nequit enim manifestatio, & representatio esse maior, ac perfectior vna, quàm alia, si per vtramque idem prorsus assequatur intellectus: sicut non potest vnus cursus esse velocior, quàm alius, si non peragatur plus spatij per vnā, quàm per alium intra idem tempus; & sic de similibus. In Deo autem, inque eius essentia secundum se non datur plus, & minus; cum sit omnino indiuisibilis, & perfectè simplex. Ergo vna visio Dei non potest esse perfectior, quàm alia.

2. Omnis præcisio intellectus, omnisque distinctio rationis dependet à distinctione reali motuorum. Quia intellectus operatur iuxta motionem obiecti. Vnde sicut fieri non potest, vt vna cognitio differat specie ab alia, quin motuum vnus differat specie à motuo alterius; ita fieri non potest, vt vna cognitio sit magis præcisua, quàm alia, seu minùs perfecta, quàm alia, quin obiectum moueat ad vnā cognitionem secundum pauciores formalitates, quàm ad aliam. In essentia autem Diuina, quæ secundum se præcisè, & vt est in se, est motuum adæquatum visionis beatæ, non dantur aliæ, & aliæ formalitates, siue realiter, siue etiam virtualiter intrinsecè, vt patet ex q. 4. Ergo non potest secundum plures formalitates mouere ad vnā sui visionem, quàm ad aliam.

3. Omnes Dei visiones existentes de facto, & possibiles absolute, sunt eiusdem infimæ speciei iuxta communem sententiam; quia est vnum, & idem motuum formale adæquatum omnium. Ergo omnes sunt æqualis perfectionis; quia ad omnes monet Deus secundum eandem, ideoque supereminenter æqualem perfectionem essentia suæ. Patet consequentia. Quia tam repugnat aliquid Diuinum esse magis, aut minùs perfectum, quàm aliquid aliud diuinum: quàm repugnat essentiam Diuinam distingui specie ab essentia Diuina. Ergo relate ad Deum secundum se, & vt est in se, tam repugnat inæqualitas, quàm diuersitas specifica visionum.

4. Si fieri posset, vt videntium Deum alius alio perfectius videret, fieri quoque posset, vt aliquis tam imperfectè videret Deum, vt non discerneret Trinitatem Personarum, seu, vt non videret Personas Diuinas, iuxta sententiam Scoti; vtque non cognosceret vllam creaturam, siue existentem, siue possibilem, quod docet idem Auctor, pluresque alij; ac demum, vt non discerneret Deum à creatura ex vi visionis immediatæ Dei, sed solam cognosceret rationem communem entis, aut substantiæ, prout dicit Arriaga. Nempe nulla potest assignari ratio, quare perfectio visionis in talem vsque aliquem determinatum gradum decrescere possit, & non possit decrescere amplius. Hæc autem, quæ illata sunt, absurda sunt. Quia quicumque videt Deum immediatè, eò ipso est beatus, vt constat ex Apostolo nullum alium constituyente discrimen beati

à misero, nisi quoddam ille cognoscat Deum facie ad faciem; hic verò in speculo, & in ænigmate, vt ostensum est questione 1. art. 4. Nequit autem esse Beatus, qui nequit discernere, quanam persona sit, à qua sit beatus, & quæ sibi est auctor tanti boni. Multò verò minùs potest esse beatus, & concipere gaudium beatificum ex vi obiecti visi, qui solam cognoscat distinctè rationem communem entis, substantiæ, &c. aut nequit distinctè adærtere bonum, quod possidet, tantà, vt minimùm, præditum esse potestate benefica, quanta inest ipsi videnti, ac possidenti; id est, tot, ac tanta, vt minimùm, fieri ab illo posse, quot fieri possunt ab ipso beato. Nulla igitur inæqualitas admittenda est possibilis in visionibus Dei.

5. Nulla inæqualitas visionum Dei provenire potest ex maiori, vel minori intensione luminis gloriæ secundum se præcisè. Quia lumen gloriæ est indistinctum ab specie impressa Dei vt dictum est supra. Qualibet autem species impressa propria obiecti, vt est in se, est sufficiens, quantum est de se, ad comprehensionem ipsius. Quia qualibet species impressa est ipsum obiectum intentionaliter, & in esse intelligibilis, ideoque continet in se necessariò totam eius intelligibilitatem. Multò verò minùs provenire potest eadem inæqualitas ex parte intellectus, magis, vel minùs perfecti. Primò, quia omnes formalitates visionis Dei sunt supernaturales. Ergo nihil conferre potest inæqualitas potentie naturalis ad augmentum, vel diminutionem illius secundum aliquam ipsius formalitatem. Deinde, quia inde fieret præditum intellectu perfectiori nancisci perfectiorem Dei visionem cum meritis æqualibus, aut etiam minoribus. Quod est absurdum contra fidem, quæ docet visionem Dei distribui iuxta mensuram meritorum, vt paulò post patebit art. 13. Illud ipsum inconueniens premittitur aliunde magis. Quia lumen gloriæ non est tota ratio agendi, sed partialis tantummodò, intellectum simul agente partialiter immediatè etiam, vt quo, prout apparet, ex q. 28. de Gratia. Effectus autem pendens immediatè à duplici causa partiali crescit crescente vtralibet, si crescit crescente altera, nec consistit in indiuisibili. Ergo perfectio, & intensio visionis Dei consistit in indiuisibili.

Art. 1. Respondetur. Certum in primis est, Deum non comprehendi à Beatis, nec comprehendi posse ab vllò intellectu creato vtrumque eleuato, comprehensione propriè, & strictè sumpta, licet comprehendatur ab omnibus Beatis comprehensione latè sumpta; nempe sumpta pro ascensione, seu tentione, & possessione stabili. Certum inquam, est ex fide, vt positum est q. 11. ad 4. & pluribus efficaciter ostendit Montoya disput. 6. de scientia Dei à sect. 2. ad 8. Ratio est, quia, vt definit Augustinus epist. 111. de videndo Deo ad Paulinam, c. 9. *Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, seu, cuius fines circumspici possunt*. Quæ secunda pars, est expositio prioris, iuxta illud eiusdem l. 21. de Ciuit. c. 18. *Id, quod scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, &c.* l. 83. q. 14. *Quod se comprehendit, finitur est sibi*. Vnde D. Thom. in 4. dist. 49. q. 2. art. 5. c. *Et ideo, ait, tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendere, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitivæ, & non excedit ipsum*. Itaque de ratione cognitionis comprehensivæ est, vt in primis sit certa, clara, ac immediata; id est, visiva, vt dicit Augustinus, & tradit D. Thomas quaest. 12. art. 7. Deinde, vt sit iusta mensura perfectionis conuenientis obiecto; ita vt comprehensor ex vi suæ cognitionis dicere certò, ac distinctè possit: tantum, ac tale

tales est hoc, & neque plus, neque minus, aut aliter. Quod est adequari cognitionem cognoscibilitati obiecti, tantumque esse perfectionem cognoscens in ratione talis, quanta est perfectio obiecti in ratione cognoscibilis, & nihil super esse, seu formaliter, seu virtualiter ex parte obiecti, ultra id, quod distinctè apparet in cognitione; ad eum ferè modum, quo nihil corporis ad quatenus contenti in alio corpore, est extra ipsum continens. Haec nimirum omnia sunt conuertibilia, & aequivalentia mutuo.

Art. 2. Repugnat autem, ut eo usque perfectionis, & adaequationis pertingat virtus aliqua intellectiva creata comparatione Dei. Quia cognoscibilitas eius est simpliciter infinita, nempe veritas, & cognoscibilitas est usque adeo perfecte conuertibilis cum ratione entis, eique commensurata, ut non solum quodlibet ens sit cognoscibile, sed etiam quilibet gradus, ac modus essendi, ideòque tantumdem in vnoquoque necesse sit crescere cognoscibilitatem, quantum crescit in eodem ratio essendi, & perfectio entitativa, ex quocumque demum capite crescat. Cum ergo esse Dei sit simpliciter infinitum, ac incircumscriptum, ut dictum est supra, patet cognoscibilitatem quoque eius esse simpliciter infinitam, ac incircumscriptam. Repugnat autem virtus cognoscitiva creata simpliciter infinita, & incircumscripta. Repugnat igitur virtus cognoscitiva creata adaequate commensurata cognoscibilitati Dei, & quae tantumdem cognoscat, quantum cognoscibilis est Deus; eumque ita in se contineat, ut non excedat, nec sit maior perfectio cognoscibilitatis, quam cognitionis, vnaquaque considerata in proprio genere. Repugnat igitur Deum comprehendendi proprie, & strictè ab intellectu creato.

Art. 3. Confirmatur; quia hoc est summum in cognitione diuina respectu sui, ut comprehendat se ipsum. Nec enim Deus habet maiorem virtutem cognoscitivam, quam cognoscibilitatem; alias haberet virtutem cognoscitivam essentialiter otiosam, nec reducibilem in actum secundum, saltem ex parte. Quia comprehenso Deo, nihil superest cognoscibilitatis, circa quam illa exerceri possit. Nulla autem virtus cognoscitiva, aut cognitio creata tanta esse potest, quanta est virtus cognoscitiva, & cognitio diuina; Quandoquidem nihil creatum tantum esse potest, quantum est, quod quodammodo est summum in Deo. Nulla igitur virtus cognoscitiva, aut cognitio creata potest adaequari cognoscibilitati diuinae.

Art. 4. Confirmatur rursus. Quia, ut dicitur in quaest. sequenti virtus delectativa cuiusque rei fundatur in cognoscibilitate ipsius; sicut delectabilitas activa, & delectatio fundatur in virtute cognoscitiva, cognitione. Virtus autem delectativa diuina est simpliciter infinita; cum beatitudo Dei, quam habet ex seipso sit simpliciter infinita; ac proinde tam cognoscibilitas, quam cognitio Dei de seipso est simpliciter infinita. Eadem igitur ratione, qua repugnat virtutem finitiam, aut delectationem atque beatitudinem creatam esse simpliciter infinitam, aut tantam, quanta est vis delectandi, & delectatio, atque beatitudo diuina; repugnat etiam virtutem cognoscitivam, aut cognitionem creatam esse tantam, quanta est cognoscibilitas, aut cognitio diuina; ac proinde repugnat alterutram ex illis alterutri ex his adaequari. Repugnat igitur cognitione creata Deum comprehendendi.

Art. 5. Pro maiori intelligentia istarum confir-

tionum observanda est ratio, ob quam non tam facile apparet magna perfectio sub conceptu magnae cognoscibilitatis passivae, quam sub conceptu magnae virtutis cognoscitivae. Ratio autem est. Quia cognoscibilitas passiva est communis rebus omnibus etiam vilissimis; atque res ipsa vilissima sunt maxime familiares, ac obvia cognitioni humanae; ut potè habitus dependenter à sensibus, qui non sunt capaces nisi obiectorum vilium, & plerumque circa vilissima detinentur. Virtus autem cognoscendi solis est communis substantiis nobilioribus, & plerumque apprehenditur ab homine conceptu reflectente supra se ipsum, qua rationalis est, hoc est, qua valde perfectus est, atque imago Dei est. Difficilius autem est emergere, ac erigi ad summa sub conceptu retinere affinitatem, & communionem quandam cum vilissimis, iisdemque familiarissimis rebus, quam sub conceptu elevato ad magna ab initio totius progressus.

Art. 6. Ceterum, re tota intimè considerata, deprehenditur clarè cognoscibilitatem vniuersalemque rei crescere iuste iuxta augmentum totius bonitatis, ac perfectionis ipsi convenientis. Quia iuxta augmentum totius eiusdem perfectionis crescit in vnoquoque virtus delectativa, seu gignendi maiorem delectationem. Quod non eget probatione. Virtus autem delectandi fundatur immediate in cognoscibilitate, sicut delectatio fundatur in cognitione. Ergo magnitudo, & perfectio cognoscibilitatis crescit in vnoquoque iuxta magnitudinem totius bonitatis, & perfectionis ipsi convenientis. Quapropter cognoscibilitas passiva Dei, cuius bonitas est infinita simpliciter, est & ipsa simpliciter infinita, non minus, aut aliter, quam virtus cognoscitiva eiusdem. Eadem igitur ratione, qua repugnat creatura tantae cognoscibilitatis passivae, qua adaequet, & exhaustiat totam virtutem cognoscitivam diuinam, ita ut ea intensius comprehensa perfecte, nulla vterius virtus cognoscendi superet in Deo; repugnat etiam virtus cognoscitiva, & cognitio creata, quae adaequet, ac exhaustiat totam cognoscibilitatem Dei, ita ut nihil vterius secundum superet in Deo, seu potius non possit Deus cognosci magis. Repugnat igitur cognitione creata comprehendendi Deum.

Artic. 7. Ex incomprehensibilitate Dei sequitur nullum intellectum creatum posse videre in Deo omnes creaturas possibiles distinctè & clarè, secundum omnes rationes ipsarum, omniaque praedicata, & combinationes mutuas. Quia, ut probat D. Thomas quaest. 12. artic. 8. eò plures effectus videntur in causa, quò perfectius videtur ipsa causa. Ergo in causa, quae non potest perfectissime videri secundum totam eius cognoscibilitatem, seu non potest comprehendi; non possunt videri omnes effectus possibiles fieri à tali causa, secundum totam cognoscibilitatem ipsorum. Et quidem causa vniuersa necessario comprehenditur ab eo, qui in ipsa comprehendit eius effectum; cum sit aequalis vtriusque cognoscibilitas. Eadem autem est ratio de causa aequiuoca. Quia nequit in ea videri perfecte effectus, quin simul videatur excessus causae cum aequali perfectione. Ergo non possunt videri perfecte, & adaequate omnes effectus causae aequiuocae, quin videatur simul perfecte, & adaequate totus excessus causae respectu ipsorum; atque adeo, quin comprehendatur ipsa causa.

Artic. 8. Vnde apparet, etsi non esset necessarius intellectus simpliciter infinitus, nec cognitio simpliciter infinita ad comprehensionem omnium creaturarum possibilibus secundum se praecise, seu ad eas comprehendendas immediate in se ipsis; non

inde sequi, nec etiam esse necessarium infinitatem simpliciter cognitionis, & cognoscentis ad comprehensionem earundem in Deo. Quia comprehensio creaturarum in Deo, includit in se perfectam cognitionem totius excessus Dei supra creaturas; ideoque includit in se perfectionem, & adaequationem cognitionis respectu Dei, simul cum perfectione, & adaequatione respectu creaturarum. Quod est plus in infinitum, quam perfectio, & adaequatio respectu creaturarum tantum.

Art. 9. Indidem rursus apparet, tametsi comprehensio ex gr. hominis in Deo, non inferat comprehensionem potentiae Dei, quatenus valentis producere hominem, comprehensionem nihilominus omnium effectibilium à Deo, concludere comprehensionem simpliciter ipsius Dei. Quia causa adaequata hominis, quatenus talis formaliter, includit in se perfectionem simpliciter infinitam; cum nihil finitum possit esse causa omnino adaequata, & penitus independens ab omni alia causa, respectu alicuius effectus, etiam minimi. Repugnat autem cognosci perfecte causam, quatenus infinitam in ratione causae, quin cognoscatur posse ab ipsa fieri aliquid maius homine. Repugnat igitur in terminis Deum comprehendere, quatenus potentem efficere hominem, & nihilominus non cognosci possibilitatem aliorum effectuum præter hominem. Est autem eadem ratio, ut patet, de repugnantia comprehensionis Dei, quatenus potentis efficere decem, aut centum, aut mille species rerum, & sic de quouis alio numero finito, quin cognoscatur Deum plura adhuc, & maiora efficere posse, atque ideo quin cognoscantur distinctè, ac comprehensivè omnia possibilia.

Art. 10. Ex his omnibus apparet ulterius possibiles esse visiones Dei inter se inaequales, & qualibet posita tantæ determinatæ perfectionis possibilem semper superesse aliam, atque aliam perfectiorem sine fine. Quia qualibet visio inaequalis, & defectuosa respectu Dei, adeoque finita, distat infinitè à perfectione, & cognoscibilitate Dei; & ultra quamlibet determinatam, ac finitam collectionem creaturarum cognitarum per eandem visionem, supersunt aliae, atque aliae possibiles sine fine, quoad numerum, & species. Exque non minus cognoscibiles in Deo, quantum est ex parte ipsius, quam quæ supponuntur de facto cognitæ distinctè. Ergo posita qualibet visione Dei tantæ determinatæ perfectionis supersunt possibiles aliae, atque aliae perfectiores visiones sine fine. Suppositio antecedentis, ipsumque antecedens patet ex dictis. Probatur consequentia. Quia inter ea, quæ distant invicem infinitè, potest fieri additio sine fine ex parte extremi minoris, quin perveniat ad æqualitatem cum extremo maiori. Perfectioni autem creatæ sola illa additio ulteriori perfectionis repugnat, per quam extrahitur à ratione finiti, & perducitur ad æqualitatem cum Deo. Nihil enim, quod sit minus Deo, repugnat fieri à Deo propter magnitudinem suæ perfectionis. Potest igitur efficere Deus visiones creatas sui qualibet data perfectiores, & perfectiores sine fine; magisque, ac magis expressius magnitudinis, & bonitatis suæ; & perfecte discretivas plurium, ac plurium; & meliorum, ac meliorum creaturarum; tum possibilem, tum existentium.

Art. 11. Confirmatur; quia visio Dei est primum meritum respectu substantiarum rationalium utentium ratione, dum sunt in via, iuxta illud: *Visio est tota merces*. Merita autem substantiarum rationalium possunt, & esse inter se inaequalia, & crescere sine fine; Quandoquidem liberè exhibentur ab unoquoque plus, vel minus operante, ut si-

bi placet, & durante plus, vel minus, & ezeitato pluries, vel rarius, intensius, vel remissius, ut placeat Deo. Cum igitur oporteat premium esse proportionale respectu meritorum, patet visiones Dei posse esse invicem inaequales modo dicto.

Art. 12. Confirmatur rursus, & ponitur ob oculos clarius huiusmodi inaequalitas visionum Dei, argumento à pari. Quia bonitas, & potentia Dei sunt simpliciter infinitæ; possunt efficere infinitas communicationes, & participationes, ac similitudines physicas sui, inter se inaequales, tametsi bonitas, & potentia Dei participabiles per effectus creatos, sint in se perfecte simplices, atque partium omnis generis prorsus expertes. Ergo quia cognoscibilitas, & eadem potentia Dei sunt itidem infinitæ; possunt eodem modo efficere infinitas communicationes, & participationes, atque similitudines, & imagines intentionales sui inter se inaequales; id est, plus, & minus exprimentes essentiam, omniæque prædicata Dei, non obitante indivisibilitate, & perfecta unitate ipsius. Nulla profeclò apparet ratio, cur omnipotentia Dei in se indivisibilis possit communicari inaequaliter diversis causis secundis, itavt aliae sint præstantiores, magisque similes ipsi physice, quam aliae; & non possit similiter virtus cognoscitiva Dei, & cognitio intuitiva, quam habet de se ipso, tametsi indivisibilis in se, communicari cum proportionali inaequalitate, virtutibus cognoscitivis, & cognitionibus, atque intuitionibus creatis, quarum aliae sint clariores, magisque similes virtuti cognoscitivæ, & cognitioni divinæ, quam aliae, quo ferè discursu, & comparisonem vitur in re simili D. Thomas quæst. 57. art. 2. post med.

Art. 13. Certum iam secundo est ex fide, istiusmodi inaequalitatem visionum dari de facto in Beatis, easque singulis distribui magis vel minus perfectas iuxta mensuram meritorum; quæ in unoquoque præexistere maiora, vel minora, ut patet ex illo 2. ad Corinth. 9. 6. *Qui parvè seminavit, parvè & metet*. Vnde Tridentinum sess. 6. cap. 16. & can. 32. definit mensuram gloriæ correspondere mensuræ meritorum; & Florentinum in literis unionis alium alio perfectius intueri Deum Trinum, & unum, pro diversitate meritorum. Nec obstat parabola operatorum accipientium æquale stipendium pro tempore inæquali laboris apud Matth. cap. 20. Quia inter alias expositiones probabiles, quæ videri possunt apud Vasquez disp. 47. cap. 3. alioque in q. ista 12. art. 6. ea est obvia, & legitima, uti & communior apud Sanctos PP. alioque interpretes, quæ illam exponit de meritis ortis ex maiori gratia, & exhibitis maiori conatu, ideoque æquantibus intra breve tempus merita legniti, licet diuturnius, laborantium.

Art. 14. Ista porro inaequalitas visionum, licet in genere causæ efficientis proveniat ex meritis tantum ex prima radice moraliter; proximè tamen, & immediatè provenit physice ex solo lumine gloriæ magis vel minus intenso; non verò ex maiori, vel minori perfectione intellectus. Et quidem, quod inaequalitas luminis sufficiat ad inducendam inaequalitatem visionum, nemo dubitat. Quia lumen est principium eiusdem ordinis cum visione, & contentinum formaliter rationis differentialis, & perfectionis propriæ, ac specialis repertæ in ipsa; utpotè datam intellectui, ut determinet, ac inuet ad talem determinatam speciem actus. Vnde inducere potest maiorem perfectionem eiusdem actus secundum rationem specificam atomam, quò intensius, ac perfectius fuerit. Inaequalitatem autem intellectus nihil ex se præcisè ad hoc conferre, communior Theologo

logorum sententia est cum D. Thoma apertè illam supponente ut certam in dicto art. 6. cap. & ad 3. licet oppositam tuantur Smiling. cum Scoto; & cæteris Scotistis, & Ripalda cum Molina, nonnullis aliis; nec non cum Caietano 3. p. quæst. 10. art. 4. circa 2.

Art. 15. Standum verò est pro communi sententia cum Suarez, Vasquez, Valent. & aliis. Ratio est, quia causa entitativè naturalis, quæ est eleuabilis ad effectus supernaturales, cum tantummodò perfectionis gradum communicare illis potest, quantum est ex se præcisè, qui est communis effectibus summè perfectis inter eos, qui sunt eidem causæ connaturales. Nulla namque causa potest habere vllam actiuitatem, & communicabilitatem suæ perfectionis necessariò otiosam ex natura rei, siue adæquatè, siue inadæquatè, solùmque supernaturaliter reducibilem in actum secundum, uti ostenditur in qq. de Sacramentis. Quapropter si eadem causa eleuetur ad genus effectuum supernaturalium, quorum nulli sit communis seu communicabilis illa ratio perfectionis, secundum quam solam possunt esse inæquales effectus connaturales; sed illa tantummodò perfectio sit illis communicabilis, secundum quam iidem effectus connaturales sunt omnes prorsus æquales inter se; nulla perfectio inæqualitas resultare poterit, ex tali causa entitativè naturali, in tale genus effectuum supernaturalium.

Art. 16. Intellectus autem, siue Angelicus, siue humanus, eatenus præcisè potest elicere cognitiones naturales inæqualis perfectionis, circa Deum quatenus cognoscit Deum per anigmata, seu per obiecta creata inæqualia, aut quatenus idem anigma, seu obiectum creatum inæqualiter cognoscit. Nenter enim cognoscere potest Deum naturaliter, nisi anigmaticè, & mediatè; atque omnis perfectio cognitionis circa obiectum mediatè, ac anigmaticè cognitum, dependet ab eiusdem perfectione circa obiectum cognitum immediatè, & ratione sui, & ut est in se. Cum igitur nulla visio Dei sit, vlla ex parte, anigmatica, sicut est anigmatica fides supernaturalis; patet nullam inæqualitatem perfectionis redundare posse in visiones Dei præcisè ex inæqualitate potentia intellectiue, siue angelicæ, siue humanæ; Esto, redundare indidem possit aliqua inæqualitas in actus fide supernaturalis cum æquali habitu fidei. Nempe intellectui creato, ex quo est anigmatum subsidio destitutus, quæ sola respicit immediatè actiuitas eius naturalis, sola relinquuntur habilitas, & eleuabilitas ad cognitionem, & visionem Dei immediatam secundum rationem eius uniformiter communem, quantum est ex vi eiusdem intellectus secundum se præcisè considerari. Tota igitur inæqualitas visionum provenit formaliter ex parte luminis magis, vel minus intenti; ex parte verò intellectus, non nisi identice, & materialiter, utpotè perfectiè eatenus subordinati luminis.

Art. 17. Accedit iuxta sententiam oppositam non posse legitimè exponi, & ad iustam correspondentiam reduci proportionem visionum cum meritis paulò prius stabilitam ex Evangelio, Concilio Tridentino, & Florentino. Quia si habenti minora merita, & magis perfectum intellectum conferatur lumen iusta proportionem, minus pro minoritate meritorum, eliciet visionem maioris perfectionis; quam quæ correspondet meritis, propter excessum ex parte intellectus. Si verò detrahatur aliquid ex intentione luminis propter eundem excessum ex parte intellectus, non poterit suppleri in visione per actiuitatem intellectus, quod deerit ex parte luminis.

Quia quilibet gradus perfectionis convenientis potentia naturali est longè inferior quolibet gradu perfectionis convenientis luminis, nec fieri potest, ut redigantur ad æqualitatem additio ex parte potentia naturalis, & detractio ex parte principij supernaturalis; cum hoc excedat propè infinite ex genere suo genus perfectionis proprium potentia naturalis. Nullo ergo pacto fieri poterit, ut seruetur proportio omnino iusta visionis cum meritis. Quod autem dici solet, inæqualitatem visionum provenientem ex inæqualitate potentia naturalis esse materialem, nec formaliter pertinere ad rationem meriti, subsistere nequaquam potest; Quia Evangelium, & Concilia non solum docent præmium fore inæquale pro inæqualitate meritorum, sed docent visionem, & messem fore inæqualem pro eorundem inæqualitate. Vnde non sola inæqualitas visionum non proportionata meritis aduertitur lactis documentis; dummodò inæqualitas sit formaliter penes visiones, quatenus visiones Dei sunt, ita ut vna sit clarior, alia minus clara respectu Dei. Quod si inæqualitas visionum ex inæqualitate potentia naturalis diceretur esse penes prædicatum aliquod genericum vitalis, spiritualis, aut aliud simile, censeretur quidem inconueniens Theologicum, sed supererret nihilominus inconueniens Philosophicum; inducta inæqualitate penes rationem genericam, absque simili inæqualitate penes rationem specificam adæquatè sumptam, cui subordinatur ex conceptu suo ratio generica. De quo alias.

Art. 18. Consequenter ad ea, quæ dicta sunt, dicendum ulterius est, inæqualitatem visionum provenire ex parte motui formalis, quod est essentia Divina, plus, vel minus mouentis intellectum. Quia lumen gloriæ est indistinctum ab specie impressa Dei, ut dictum est supra. Quod autem præstat, ut quo species impressa obiecti, eo ipso præstat, ut quod, ipsum obiectum. Illa porro inæqualitas motionis ex parte obiecti non in hoc consistit, quod Deus moveat ad visiones sui secundum plures, vel pauciores suas formalitates; sicut quod omnipotentia producat effectus purè physice inæquales, non in hoc consistit, quod productio aliquorum effectuum proveniat à pluribus formalitatibus divinis, quam productio aliorum. Ad quasvis enim visiones, & ad quasvis alios effectus concurret Deus secundum se totum, & æqualiter secundum omnes suas formalitates. Quia in prædicatis Dei absolutis, penes quæ sola est tota Dei actiuitas, & perfectio operatiua ad extra, non datur vlla distinctio, ut patet ex quæst. 4. præterquam rationis extrinsecæ, à qua nequaquam dependat causalitas, seu motiua intentionaliter, seu physice effectiua; quæ videlicet exercetur a parte rei à diuinitate, ut est in se intrinsecè, & non propter consideratur à nobis mediantibus obiectis creatis. Igitur ea inæqualitas motionis in hoc præcisè consistit, quod Deus secundum omnia sua prædicata influat inæqualiter cum alio, atque alio intellectu applicando se per liberum suum decretum immediatè, & mediatè per lumen, vnicuique intellectui ad producendum visionem magis, vel minus perfectam; & magis, vel minus inadæquatam respectu cognoscibilitatis diuinæ, ita ut uniformiter crescat vel decrescat representatio, & expressio diuinitatis in vnaquaque visione quoad omnia, & singula prædicata, & formalitates diuinas; quarum alia ab aliis solæ possunt præscindere cognitiones abstractiue Dei, propter interpositionem diuersorum obiectorum creatorum, ut expositum est q. 5. & 6. cum è contra visiones omnes ferantur immediatè in Deum, ut est in se, ideoque versentur cum necessitatis

cessaria uniformitate quoad omnia, & singula, quæ necessariò insunt Deo, siue perfectius, siue minus perfectè ipsum attingant.

Art. 19. Quia verò inter prædicata necessaria Dei, eminent omnipotentia, omniscientia, & dominium vniuersale; atque hæc cognosci minime possunt, quin cognoscatur, Deum omnia posse facere, omnia cognoscere, & esse liberum, vt faciat quilibet, vel non faciat; quod perinde est, atque cognoscere omnia à Deo fieri, atque cognosci posse, eademque posse fieri, & non fieri: consequens est, vt quilibet Beatus necessariò videat in Deo omnia possibilis, saltem secundum istam rationem communem. Distinctè autem, & cum expressione, quoad conceptum specificum, tum subalternum, tum infimum, tum etiam indiuidualem, eò plura vnusquisque videt, quò perfectius Deum videt, vt apparet ex illationibus superius adiunctis incomprehensibilitati Dei ab art. 7. Quoad cognitionem verò creaturarum existentium, non militat eadem ratio. Quia essentia Diuina, quæ est motuum adequatum omnis visionis beatæ, non habet connexionem determinatam cum existentia potius, quam cum non existentia creaturarum; & cum existentia istarum potius, quam aliarum. Vnde neutrum ex his extremis necesse est, vt determinatè appareat, aut simpliciter, aut secundum magis, & minus, ex vi visionis Dei, quatenus magis, vel minus perfectæ. Quapropter Deus peculiari libertate, ultra eam, quam exercet in conferenda visione sui, tantæ, vel tantæ perfectionis præscribit vnique tot, ac talium rerum, vt existentium, cognitionem in se ipso, tanquam in speculo, quoad hoc specialiter, ac seorsim voluntario. Qua de re pluscula determinanda, ac exponenda sunt in qq. de Beatitudine. Id pro nunc specialiter obseruandum est; non oportere, vt peculiari similiter libertate superaddatur peculiaris perfectio, ex parte luminis gloriæ, pro cognitione rerum, vt existentium, ultra eam perfectionem, quæ inest eidem pro cognitione earundem, vt possibile. Quia visio existentie rerum creaturarum in Deo nullam superaddit perfectionem peculiarem visioni possibilitatis earundem in eodem. Idque ob eam ipsam rationem, quæ infra ostendetur, scientiam diuinam visionis non superaddere vllam perfectionem peculiarem scientiæ simplicis intelligentiæ.

Art. 20. Demum in genere causæ formalis inæqualitas visionum renouatur, vt patet, in maiorem, & minorem intensionem earum. An ista intensionis inæqualitas confurgat ex gradibus realiter inter se distinctis, iisque homogeneis, vel heterogeneis? An verò consistat in perfectione penitus simplici entitatiuè maiori vel minori ad eum modum, quo substantiæ sunt inuicem inæquales? Difficultas est huic cognitionum generi communis cum omnibus, & quibusvis cognitionibus, & pertinet ad libros de anima. Vnde in præsentī supponitur intensionem cognitionis, quidquid sit de aliis qualitatibus, non esse formaliter gradualement, sed tantum æqualiter; quatenus vna cognitio, per entitatem in se realiter penitus simplicem, est magis similis suo obiecto, quam alia. Qui excessus similitudinis relatè ad eundem terminum, & sub eodem modo respiciendi illum, appellatur intensio; & eò maior, quò maior est similitudo. Ex his igitur omnibus liquet, possibile esse, & dari de facto visiones Dei inæquales; & vnde ea inæqualitas proveniat in omni genere.

Art. 1. Ad 1. Non ob hoc dicitur non comprehendere Deus, aut minus videri vna visione, quam alia, quia aliquid Dei videtur, & aliquid aliud

Dei non videtur; aut quia videntur plura ex parte ipsius per vnā visionem, quam per aliam. Hæc enim est imaginatio orta ex assuetudine rerum materialium inuicem inæqualium, in quibus ex parte excedentis, excelsus est diuisibilis à reliquo. Res autem spirituales inter se inæquales excedunt & exceduntur se totis; cum sint partium expertes. Quia videlicet tota perfectio vnus est maior, quam tota perfectio alterius; & si sit multo maior, erit inæqualitas valde magna.

Art. 2. Ideò ergo nulla visione creata comprehenditur Deus, eoque minus videtur vna visione, quam alia; quia nulla est visio creata, cuius perfectio sit tanta in genere suo, quanta est perfectio cognoscibilitatis diuinæ in suo; & quia minor est perfectio vnus visionis; quam alterius. Et licet per quamlibet visionem cognoscatur Deus esse infinitus; nulla tamen cognoscitur infinitè. Quia in nulla visione creata datur apparentia, representatio, assimilatio intentionalis, aut claritas (quæ sunt prædicata inuicem æquivalentia) infinita; sed in alia maior, in alia minor; non extensione, aut coarctatione cognitionis ad plura, vel pauciora; sed augmento, & diminutione perfectionis circa idem secundum idem.

Art. 3. Iam ratio, & perfectio cursus corporalis in hoc tota consistit, vt corpus transmittat ab vna parte spatij in aliam. Vnde perfectior, ac celerior esse non potest, quin transmittat corpus ad plures partes spatij intra idem tempus. At ratio, & perfectio cognitionis non includit in suo conceptu vllam comparisonem sui cum partibus obiecti. Quia non est de ratione eius, vt versetur circa obiectum habens partes, aut etiam formalitates in se intrinsecè aliquo modo distinctas. Sola itaque est de ratione eius assimilatio obiecti, quæ potest esse maior inter totam vnā entitatem simplicem, & totam aliam eidem simplicem; quam inter aliam, & aliam vt patet in comparatione Angelorum, inter se, & cum Deo.

Ad 2. Pro maiori perfectione, seu claritate, minorique præcisione vnus cognitionis præ alia non est opus pluritudine reali motuorum, aut motione obiecti secundum plures formalitates. Sufficit enim, vt idem obiectum secundum easdem formalitates plus moueat; sicut ad inæqualitatem aliorum effectuum sufficit, quòd omnipotentia plus, vel minus agat, licet non agat secundum plures, vel pauciores formalitates ex parte sui. Concursum autem essentia Diuinæ in visiones beatas est inæqualis iuxta inæqualitatem intensionis in lumine gloriæ, vt dictum est; Ideòque cum lumine, vt quatuor, gignit apparentiam, & manifestationem sui, vt quatuor; & vt octo, cum lumine, vt octo, &c. Apparet itaque Deus, vt infinitus, & vt talis manifestatur, atque æstimatur per quamlibet sui visionem; per nullam tamen visionem creatam id ipsum habetur infinitè, sed finitè propter finitatem concursus prædicti ab obiecto infinito, iuxta finitam capacitatem intellectus creati. Notanda est differentia inter distinctionem positam rationis, quæ idem obiectum apparet tanquam aliud, & aliud, & diuiditur in plures formalitates logicè diuersas, & inter distinctionem rationis purè negatiuam, ob quam obiectum sortitur minorem apparentiam in intellectu, quam sit cognoscibilitas, & entitas eius in se. Ad priorem distinctionem est necessaria pluralitas, & diuersitas obiectorum seorsim aliquantulum mouentium ad cognitiones vt patet ex dictis q. 5. Ad posteriorem distinctionem sufficit idem obiectum secundum se præcisè minus influere, quam absolute possit, vel quia ita libet, vel propter impedimentum accidentaliter interueniens, vel propter

propter incapacitatem cognoscentis, vt apparet ex proximè dictis, & ex tota ista quaestione.

Art. 1. Ad 3. Necesse est, vt omnes cognitiones causate immediate ab aliquo obiecto, ferantur in ipsum tanquam in motuum suum adequatum cognitum ratione sui; non tamen necesse est, vt idem obiectum influat in omnes illas aequali influxu, vt modò dicebatur. Omnes autem cognitiones representantes idem motuum formale adequatum, dicuntur communiter esse eiusdem speciei, & similiter dicuntur ab omnibus inaequales ij effectus, ad quos inaequaliter influat eorum causa. Licet igitur necesse sit omnes visiones Dei esse eiusdem speciei, iuxta modum loquendi magis communem: non tamen necesse est, omnes esse inter se aequales quoad intensiōnem.

Art. 2. Inquam, iuxta modum loquendi magis communem. Quia videtur esse controversia de voce inter affirmantes, & negantes visiones Dei, quae sunt intensiōne inaequales, esse eiusdem infimae speciei: vt exponitur vniuersaliter in qq. de actibus humanis. Dicit interim potest, visiones Dei inaequales esse diuersae speciei Logicae, Theologicae verò eiusdem. Quia videlicet intensiō inaequalis est praedicatum intrinsecum visionum, per quod innicem discerni possunt, aptumque proinde est ad abstractiones, & praedicationes diuersas, quo respicit Logicus. Et nihilominus quilibet visio Dei vniiformiter sufficit ad constituendum, videntem, possessorem summi boni, atque ad perfectam eiusdem felicitatem cum plena quiete appetitus; quò respicit Theologus, tanquam ad totam substantiam, & conceptum quidditativum rei, & cetera reputat velut accidentia, & circumstantias adiacentes substantiae, ac essentiae rei.

Art. 1. Ad 4. Personalitates Diuinae nullam habent in se perfectionem peculiarem, ultra eam quae est ipsis indiuisum communis cum essentia diuina, & est indistincta ab eadem essentia, etiam virtualiter intrinsecè; vt dicitur quaest. 40. Vnde sicut nullam aliam operationem ad extra exercere possunt, praeterquam indiuisim virtute essentiae: ita neque motionem vllam intellectus creati praestare aliter possunt, quam indiuisim virtute eiusdem essentiae. Itaque essentia Diuina est tota ratio, totaque virtus mouendi intellectum creatum ad visionem immediatam tum sui, tum Personarum. Vnde Personae diuinae neque inter se, neque cum essentia vllam habent oppositionem, aut discrepantiam in ratione cognoscibilis immediatè, & vt sunt in se; sed cognoscibilitatem immediatam habent prorsus communem, ac indiuisuam, non minùs, aut aliter, quam essentiam; ipsaque essentia se sola est adequata cognoscibilitas immediata, & sui, & Personarum. Repugnat igitur, vt essentia diuina vi sua exhibeat se se immediatè spectandam, vt est à parte rei, & non manifestet simul Trinitatem Personarum sub eodem prorsus gradu claritatis, & expressiōis; sub quo ipsa essentia diuina apparebit intuenti.

Art. 2. Multò minùs fieri potest, vt videatur Deus immediatè per speciem propriam, ac peculiarem, aut per concursum obiectiuum praestitum ab eodem immediatè se solo, & nihilominus confundatur cum omnibus aliis rebus sub conceptu entis vt sic. Primò, quia auctoritas Apostoli inducta in obiectione, ipsa quin etiam, apprehensio terminorum ita ad hoc cogunt, vt etsi nulla vltior occurreret ratio, nullatenus esset dicendum oppositum, sed magis agnoscenda esset propria mentis insufficiens ad ostensionem veritatis. Deinde intellectus, quatenus coniunctus cum specie propria, & peculiari alicuius obiecti in particulari, eidemque cooperans directè, non

est capax ad confundendum idem obiectum cum aliquo alio, sed necessariò accipit ab specie determinationem; quae eidem speciei est intrinseca respectu sui obiecti particularis. Nempe intellectus operans independentè à sensu; & consequenter à distantia, & indistantia locali obiecti, non est capax nubecularum aliarumque indispositionum, quibus vitiatò sensorio vilus, corrumpitur directè visio corporalis, & indirectè mentalis, & vtrique impeditur à discretionē vnus obiecti ab alio. Denique, respectu etiam visus corporalis, eò est facilius discernere vnum obiectum ad alio, & difficilius vtrumque confunderè, quò maior est distantia, & differentia inter illa. Quia de causa est impossibile; vt qui re ipsa intuetur montem immediatè, confundat illum cum atomo, vel cicerè, vtque dubitet, ex vi talis actus, vt praesentis, an quod videt, sit atomus, vel cicer, an mons. Quid igitur dicendum de intellectu purè intellectualiter, & immediatè intuenti Deum, cuius distantia à quouis alio obiecto est simpliciter infinita?

Art. 3. Quia verò eadem est indistantia sapientiae, potentiae, iustitiae infinitae, à quouis re finita, atque à sapientia, potentia, iustitia finita; idque non identicè tantum, ac materialiter; sed formaliter, & secundum quod ipsum; propterea dicendum est, impossibile esse, vt quicumque immediatè videns Deum, non discernat ipsum formaliter, & expressè ab ente, tum insipiente, impotente, iniusto; tum finitè sapiente, potente, iusto. Eadem est ratio de quibus suis aliis perfectionibus Diuinis non continentibus, secundum suos conceptus formales, repetitionem sui mutua, vel non mutua. Qualis repetitio datur in perfectione spectante ad conceptum omnipotentiae, dum concipitur, iam vt potentia adequata ad producendum leonem, iam vt potentia adequata ad producendum hominem. Vtrobique enim repetitur idem genus perfectionis cum sola quadam, & pura extensione ex parte obliqui. Quapropter huiusmodi formalitatum mutuo se includentium, & saltem inaequaturè repetentium expressio peculiaris pertinet ad solam maiorem intensiōnem cognitionis discernentis Deum, à rebus creatis; nec necesse est, vt aequaliter insit omni immediatè visioni Diuinae essentiae; sed potest esse maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem perfectionem visionis, vt dictum est supra; tametsi necesse sit discerni per omnem visionem Deum trinum, & vnum, quoad omnes, & singulas perfectiones non repetentes se mutuo modo explicato. Quae perfectiones dici communiter solent à Theologis primariae; illae verò aliae mutuo se repetentes, secundariae; quin tamen satis apertè tradantur ab iisdem communiter differentia denotata per eas voces.

Ad 5. Constitit iam supra art. 15. totam inaequalitatem visionum Dei reuocari ad inaequalitatem intensiōis in lumine gloriae, nullamque eatenus esse paritatem inter ipsum, & intellectum. Quoad sufficientiam porò cuiuslibet speciei impressae ad comprehensionem obiecti, reddita est ratio discriminis inter Deum, & obiecta creata in q. praecedenti ad 2. atque ibidem ostensa est paritas, & vniiformis quoad hoc ratio inter concursum obiectiuum praestitum à Deo; tum per se ipsum immediatè etiam, vt quo; tum per speciem impressam sui. Vnde vltèrius deducitur; sicut per speciem impressam Dei non potest videri in Deo euentus non existentiae simpliciter ipsius speciei; ita neque Deo concurrente obiecti per se ipsum immediatè posse videri in eodem euentu non concurrenti eo modo ad vllam visionem. Neutrum tamen horum derogat perfectioni, & conceptui, vel speciei impressae.

reſſæ Dei, vel concurſus obiectiui immediati. Quia non poteſt eſſe de conceptu, & perfectione inſtrumenti, vt inferuiat ad actionem excluſiuam ipſius, & exercendam non interpoſito inſtrumento: Sicut neque eſt de conceptu, & perfectione actionis præſtandæ immediatè à cauſa principali, vt ſit indiſſerens ad vſum, & interpoſitionem inſtrumenti. Deinde ſpeciei impreſſæ Dei, ex ſuo conceptu, inſunt virtualiter, quæ inſunt formaliter viſioni Dei. Nulla autem viſione Dei videri poteſt in Deo, nullam exiſtere ad vſum, & interpoſitionem inſtrumenti. Deinde ſpeciei impreſſæ Dei, ſicut nulla ſpecie impreſſa videri poteſt nullam talem ſpeciem exiſtere; ſed vna viſione, & ſpecie videri poteſt non exiſtere viſionem aliam, aut ſpeciem.



QVÆSTIO XIV.

Utrum Deus ſit ſummè bonus, Pulcher & Perfectus?



IDEVR non eſſe. Quia ratio bonitatis conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine, vt habetur ex Auguſtino c. 3. de natura boni. Ratio verò pulchri conſiſtit in debita partium proportionem, vt habetur ex Dionyſio cap. 4. de diu. nom. Ratio denique perfectionis conſiſtit in conſummatione facti, quali totaliter facti, vt habetur ex Iſidoro lib. 1. ſentent. cap. 2. ſent. 4. Nihil autem horum datur in Deo; vt potè non factio, nec habente partes proportionabiles, aut ordinabiles inuicem, aut menſurabiles; nec conſtituto in aliqua ſpecie; cùm ſit ens à ſe perfectè ſimplex, nec contentum in aliquo genere, vt ſuprà dictum eſt. Ergo Deus nec bonus, nec pulcher eſt, neque perfectus.

Art. 1. Reſpondetur. Tranſitus ab attributis negationis huc vſque explicatis ad poſitiua deinceps explicanda, incipit ab iis quæ ſunt notiſſima, & priora; nempe à bonitate, pulchritudine, & perfectione. Bonum dicitur formaliter relatè ad appetitum; atque à Philoſopho 1. Ethic. ſub initium, & ab alijs communiter definitur. *Quod omnia appetunt.* Pulchrum verò dicitur formaliter relatè ad cognitionem, & ſecundariò relatè ad appetitum, atque à D. Thoma q. 5. art. 4. ad 1. & ab alijs communiter definitur. *Quod viſum placet.* Ita videlicet, vt viſio ipſa ſit cauſa complacentiæ, non tantum vt quo, ſeu tanquam propoſitio, & applicatio pura obiecti ſed etiam, vt quod, & tanquam obiectum monens, atque ſe ipſa, formaliter ſuperaddens materiam complacentiæ. Perfectum nec relatè ad appetitum dicitur, nec relatè ad cognitionem, ſed eſt conceptus abſolutus, & nihilominus eſt conceptus ratione poſterior comparatione, & boni, & pulchri; quatenus eſt vltimum vtriuſque complementum. Perfectum enim definitur ex Philoſ. 3. phil. c. 6. & 5. Metaph. c. 16. *Cui nihil deest eorum, quæ ſpectant ad ipſum* id eſt, quod nullam patitur priuationem bonitatis, aut pulchritudinis, cuius eſt capax.

Art. 2. Summum itaque & vniuerſaliſſimum bonum, & pulchrum eſt, quod eſt appetibile reſpectu omnium, & ſingularum, & expletium, ac ſatiatum omnium appetitus, & quod viſum omni videnti ſummè placet; eodemque modo vniuerſaliter, atque in omni genere, abſque vlla limitatione, ac reſtrictione, perfectum eſt, cui nulla omnino deest ratio bonitatis, aut pulchritudinis abſolutè, & ſimpliciter

poſſibilis. Deus autem eſt appetibilis in primis vniuerſaliter ab omnibus. Quia omnibus, quæcunque ſunt, eſt cauſa, vt ſint. Quare eadem neceſſitate, qua vnum quodque appetit ſuum eſſe, compellitur, vt appetat eſſe Dei, ex quo ſuum eſſe dependet. Im poſſibile ſiquidem eſt, vt appetens abſolutè aliquid eſſe, non appetat eo ipſo omne neceſſarium, & poſitiuè conferens, vt illud ſit, maxime verò vnicam cauſam, à qua eſſentialiter illud dependet, & ſine cuius influxu eſſe nequaquam poteſt: Conſequenter Deus eſt ſatiatus, omnis appetitus. Quia eſt cauſatus, atque adeò contentius omnium appetibilium, ac proinde expletius, ac ſatiatus cuiusvis appetitus, ſicut fons omnium aquarum eſſet extinctius omnis ſitis. Eſt igitur ſummum, & vniuerſaliſſimum bonum. Hinc deducitur ſummam quoque, & vniuerſaliſſimam pulchritudinem ei conuenire. Quia pulchritudo fundatur in bonitate; idè enim obiectum viſum placet, quatenus viſum, & cognitum quia habet in ſe bonitatem, & perfectionem, quæ eſt ſimile bonitati, & perfectioni potentiæ viſuæ, aut per quam conformatur ideæ bonitatis, & perfectionis præexiſtentis in eo, qui videt & contemplatur conformitatem rei viſæ cum perfectione propria, aut cum ideâ perfectionis iam præhabita. Igitur Deus præhabens in ſe omnem bonitatem, & explens, ac ſuperans omnem ideam bonitatis extra ſe, habet etiam neceſſariò rationem ſummæ, & inſinitæ pulchritudinis. Indidem vltimus concluditur Deum eſſe vniuerſaliter, atque in omni genere abſolutè perfectum. Quia præhabenti in ſe omnem bonitatem, & pulchritudinem abſolutè poſſibilem, nulla poteſt deeſſe ratio bonitatis, aut pulchritudinis.

Art. 3. Prima, & ſumma horum omnium ratio eſt. Quia Deus, vt dictum eſt q. 2 eſt ens neceſſarium, & à ſe Ens autem neceſſarium, vt ibidem oſenſum eſt, neceſſe eſt, vt careat omni defectu, vtque præditum ſit omni pura perfectione, ac bonitate. Et ſimiliter eſt de conceptu entis à ſe, vt ſe ſolo ſit ſibi ſufficiens ad ſuum eſſe, & conſequenter, vt habeat ſecum identitatem omnem puram perfectionem, ſeu, vt communiter dicitur, omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Quia perfectio ſimpliciter ſimplex, ex definitione Anſelmi c. 14. Monol. & c. 5. Proſol. eſt, quam melius eſt eſſe, quam non eſſe, ſeu eſt prædicatum, quod abſolutè, & non tantum reſpectu huius, vel illius, eſt melius, & præſtantiùs, atque æſtimabilius quolibet incompoſibili ſecum. Sicut eſſe ſapientem dominatum, omnipotentem, aut aliquid ſimile, eſt melius quolibet non ſapiente, non dominatio, non omnipotente, aut quolibet non ſimili. Conſequenter eſſe collectionem, ſeu potius eſſe indiuiſim eſſentiam cuiusmodi omnium eſt melius quolibet eorum ſeorſim, id eſt, identitas eorum mutua præualeat diſtinctioni cuiuslibet eorum à reliquis. Quod ex eo eſt, maniſeſtiſſimum; quia poſito aliquod ex cuiusmodi prædicatis diſtingui realiter ab aliquo ex cuiusmodi alio prædicato, eſſe quoque incompoſibile cum eodem, ſequitur vtrumlibet eorum eſſe melius altero, ac proinde vtrumlibet eſſe minus bonum, quam alterum, & conſequenter quam ſe ipſum. Clariffimum autem eſt, quod eſt ſibi ſe ſolo ſufficiens ad eſſe, eſſe melius quolibet ſimiliter non ſufficiente ſibi, atque indigente alterius extra ſe ſubnentione. Maniſeſtum igitur eſt, ens à ſe eſſentialiter eſſe omnem puram perfectionem, ſeu eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & collectionem ſimpliſſimam omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, atque adeò eſſe ſummam bonitatem ſummam pulchritudinem, ſummamque perfectionem per eſſentiam. Hæc igitur omnia eſt Deus per eſſentiam.

Ad